Per humilitatis cuſtodiam ſervanda eſt munditia caſtitatis. Greg. l. 19. Moral. c. 12.

Nec caſtitas magna eſt ſine bono opere, nec opus bonum eſt aliquod ſine caſtitate. Idem, Hom. 13. in Evang.

Per Moyſem, luxuria perpetrata, per Chriſtum authorem pudicitiæ, luxuria cogitata damnatur. Idem, in Moral.

Nihil valet apud Deum aut ſuperba caſtitas, aut humilitas inquinata. Idem, 21. Moral. c. 2.

Differunt quidem inter ſe homo pudicus & Angelus, ſed felicitate, non virtute; ſed etſi illius caſtitas ſit felicior, hujus tamen fortior concluditur. Bernard. in Epiſt.

Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore, ſtatum quemdam immortalitatis & gloriæ repræſentat. Ibidem.

Caſtitas ſine charitate, lampas ſine oleo: ſubtrahe oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, caſtitas non placet. Idem, ib.

Solent Virgines, quæ vere Virgines ſunt, ſemper ad omnem viri affatum pavere, & numquam eſſe ſecuræ: & ut caveant timenda, etiam tuta pertimeſcere. Idem, Serm. ſuper Miſſus eſt.

Virginitate placuit, humilitate concepit. Idem (loquitur de B. Virgine.)

Continentia non habet meritum apud Deum, quæ gloriam requirit humanam. Idem, Serm. 8. in Cant.

Quid caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum denique de homine facit? Idem, Epiſt. 42.

Nulla eſt caſtitas carnis, quam non commendat humilitas mentis. Greg. in Moral.

In virginitate exemplar habetur angelicæ ſanctitatis. Athan. l. de Virg.

Non ſecundum carnem vivere, angelicum eſt, & ſuperius natura. Greg. Naz.

Virgines adhuc in terra degentes, municipatum habent in cœlis. Caſſianus. l. 2. c. 6.

Angelis ſemper cognata virginitas; in carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis. Chryſ. Serm. 143.

Angelorum gloriam acquirere majus eſt quam habere; Angelum eſſe felicitatis eſt; virginem eſſe, virtutis. Idem, ibidem.

Diutius virginitatis donum fluxit in fœminas, quia cœpit a fœmina. Hieronym. Epiſt. 22. ad Euſtoch.

Caſtitas, quæ vera eſt & æterna formoſitas. Zeno Veron. Serm. de Pudicitia.

Quantum es miranda pudicitia, quæ aliter laudari te non vis, quam ut cuſtodiaris! Idem, ibidem.

Tu in virginibus felix, in viduis fortis, in conjugiis fidelis, in Sacerdotibus pura, in Martyribus glorioſa, in Angelis clara, in omnibus vero Regina. Idem, ibid.

Ut nihil aliud eſſet, ut nulla merces alia virginem ſequeretur, ſufficeret ei hæc ſola prælatio: cogitare quæ Domini ſunt. (Ut ait Apoſtolus.) Hieron. apud Jovin.

Sola eſt virginitas, quæ ſuaderi poteſt, imperari non poteſt; res magis voti, quam præcepti. Ambroſ. in adhortatione ad Virg.

Tenera res in fœminis fama pudicitiæ eſt. Hieron. Epiſt. 9.

Pudicitiam ſolam novit conſcientia, & humani oculi hujus rei certi judices eſſe non poſſunt. Idem, Epiſt. 128.

Invicem ſe eadem oculorum genera deſiderant: ejuſdem libidinis eſt videri & videre. Tertull. l. de veland. Virg. c. 2.

Pudicitia, flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis. Idem, l. de Pudicit.

PARAGRAPHUS V.

Quæ ex Theologia, ad hoc argumentum, poſſunt deſumi.

Caſtitatis ejuſque ſpecierum definitio.

CAſtitas, ſi in proprio ſenſu accipiatur, virtus eſt & moralis, per quam ab illicitis quidem carnis voluptatibus abſtinemus, licitis vero modice utimur. Cum hæc virtus ſit, ideo voluntatis habitus eſt, qui in anima, tamquam in ſubjecto ſuo eſt; ſed qui habet corpus pro materia, & pro ſubjecto, in quo exercetur: animæ enim proprium eſt corporeis uti membris ſecundum rationem, atque modum, qui ab eadem ratione præſcribitur. Caſtitas hoc in ſenſu accepta in tres ſpecies diſtinguitur, ratione quarum generis locum tenet: prima, eaque præſtantiſſima, eſt puritas virginalis, quæ omnes prorſus carnales voluptates licitas æque ac illicitas a ſe repellit; ſive Deo conſecrata ſit religionis voto, ſive hoc ſervet ex mero conſilio, atque conſtanti propoſito, numquam violandi puritatem aliquo actu voluntario, qui illi adverſetur. Species altera eorum eſt, qui cum aliquandiu in conjugio vitam tranſegerint, poſt conjugis alterius obitum, reliquum vitæ ſpatium in cœlibatu, ſanctaque viduitate traducunt. Tertia denique eſt caſtitas conjugalis in mutua fidelitate conſiſtens, quam viciſſim conjuges ſervant, qui matrimonio dumtaxat ſecundum Dei Leges, atque temperantiæ regulam, utuntur.

Varia hujus virtutis nomina.

Virtus hæc plura habet nomina, quæ paſſim promiſcue confunduntur, quamvis diſtincta ſit eorum ſignificatio. Nomen Pudicitiæ, proprie honeſtatem ſignificat, qua ſenſus noſtros cohibemus, ne quid indecorum, & quod puritatem lædat deprehendatur in nobis. Continentiæ ſignificatio latius patet; quandoquidem comprehendit abſtinentiam ab omni ſenſuum incompoſita voluptate, quamvis peculiarius ad abſtinentiam ab inhoneſtis voluptatibus ſignificandam transferatur. Puritatis nomen magis adhuc genericum eſt, ac dicitur de his omnibus, quæ clara, & munda ſunt; cumque de morum agitur diſciplina, vitæ integritatem ſignificat, & ad caſtitatem indigitandam traducitur. Hoc etiam nomine frequentius utimur, quippe quod omnia excludit vitia virtuti oppoſita, de qua ſermo eſt.

De virtutis hujus præſtantia.

De virtutis hujus præſtantia judicium ferre licet ex uberrimis laudibus, quibus Sancti Patres illam celebrarunt, & quæ ſuperius a nobis allatæ ſunt; præſertim vero ex S. Baſilii elogio, qui Theologorum more loquens ait, per hanc Virtutem nos ad Deum propius accedere; non eo quod hæc virtutum omnium ſit præſtantiſſima, licet imperfecto ipſius gradu nempe Virginitate ſumatur; quandoquidem Theologales virtutes, & ex moralibus Religio ratione objecti ſui illam antecellant: verum dicere poſſumus, virtutem hanc Deo in paucis eſſe acceptiſſimam, & nos ad alium amorem facilius diſponere, atque prorſus peculiari ratione noſmet cum illo conjungere.

Dubitandum non eſt, quominus Virginitas, & continentiæ ſtatus conjugio ſit anteferendus, ubi ſemel S. Paulus hoc aperte docuerit, & Divus Thomas *ar.* 4. *qu.* 152. rationes attulerit. Qua in re diligenter perſonam inter ac ſtatum diſtinguendum eſt: aliquis enim in perfectiſſimo ſtatu reperitur, qui tamen a ſtatus ſui perfectione quam maxime diſtat, & aliquis eſt in ſtatu minus perfecto, qui tamen ſumma fide omnia ſui ſtatus officia adimplens, longo poſt ſe relinquit intervallo eum, qui ſtatum amplexus eſt ſublimiorem. Sed quamvis non deſint homines conjugii vinculis irretiti, qui Virginibus præſtent, & ſanctitate, & perfectione; hoc tamen non abeſt, quominus virginitatis, & continentiæ ſtatus Deo ſit acceptior, magis meritorius, & ad nos ad ſublimiorem perfectionis gradum evehendos magis idoneus. Non oportet igitur æquare meritum Virginis, & nuptæ, ſi cætera ſint paria; ita in Cœlo peculiaris gloria, & corona deſtinata eſt Virginibus, quibus ſacer Textus hanc tribuit prærogativam, quod ſequuntur Agnum quocumque ierit, tamquam perfectiorem cum ipſo habentes ſimilitudinem.

De Caſtitatis præcepto.

Quid de caſtitatis præcepto Biblia, atque Theologi doceant, omnibus compertum, atque exploratum eſt; primum videlicet virginitatem, quæ maxima eſt hujus virtutis perfectio, non eſſe præcepti, ſed tantum conſilii: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do:* 1. ad Cor. 7. Sed conſilium, quod toto Cœlo utilius eſt, quam ulla mortalis affinitas, iis, quibus illius tuendi, & deſiderium, & vim Deus eſt elargitus: Secundo caſtitatem illius ſtatus propriam, in quo ſingulos providentia conſtituit, inevitabile eſſe præceptum; Tertio quamlibet voluntariam, & conſiderate quæſitam in hac materia voluptatem eſſe peccatum mortale; & juxta communem Doctorum ſententiam, neminem a peccato excuſari propter materiæ levitatem, ſed tantummodo propter attentionis, vel conſenſus defectum.

De voto Caſtitatis.

Caſtitas, quæ Deo vovetur, ſit longe præſtantior, & magis meritoria propter rationes actionibus omnibus, omnibuſque virtutibus, quibus explicito adſtringimur voto, communes; præter quam quod ita in bono magis confirmamur, nobiſque eripitur ipſa etiam moralis aliter agendi facultas.

Rationes autem adeo præclare, teneræque virtutis tuendę, præter orationem, ſine qua ſervari nequit continentia, quę peculiare Dei donum eſt, hę ferme ſunt, mortificatio, diligens ſenſuum noſtrorum cura, fuga omnium occaſionum, in quibus hæc virtus periculum pati poſſit; velox immundis cogitationibus reſiſtentia; jugis vigilantia, quibus adde fugam otii, quod eſt vitiorum omnium origo.

Bona continentiæ.

Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt virginum, & eorum qui continentiam tuentur ſtatum majores habere utilitates, quam ipſum conjugium. Princeps autem illa eſt, quam Apoſtolus in priori ad Corinthios Epiſtola indigitat; eos videlicet, qui conjugii vinculis irretiti ſunt, plurimis curis detineri, nihil autem obeſſe, quominus Virgo Deo ſerviat, ſi velit; ac ſeſe eidem penitus devoveat. Altera eſt; quemadmodum omnis perfectio in hoc poſita eſt, ut quis vitam vivat ſpiritualem; qualis erit poſt reſurrectionem vita Beatorum; dubitandi locus non eſt, eas, quę ad hunc ſtatum propius accedunt, ac majorem cum eodem ſimilitudinem habent, aptiores, ac breviores eſſe vias, ut eo perveniatur: cujus generis profecto ſunt continentia, & virginitas. Tertia; ille, qui continens eſt, magnam exercet mortificationem, ſibimetipſi interdicens voluptates, quas corrupta natura tantopere deperit; unde complures arguunt, vim quam nobiſmetipſis inferimus, ut virtutem hanc tueamur, tutiſſimum eſſe noſtrę prędeſtinationis indicium.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribus Concionatoribus loci hujus argumenti.

De puritatis præſtantia.

QUis humano *Virginitatem* poteſt ingenio comprehendere, quam nec natura ſuis incluſit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod ſupra uſum naturæ ſit? E cœlo accerſivit, quod imitaretur in terris. Nec immerito vivendi ſibi uſum quæſivit e cœlo, quæ ſponſum ſibi invenit in Cœlo. Hæc nubes, aera, Angelos, ſideraque tranſgrediens, verbum Dei in ipſo ſinu Patris invenit, & toto hauſit pectore. Nam quis tantum cum invenerit relinquat boni? .... Poſtremo non meum eſt illud, quoniam, quę non nubunt, neque nubentur, erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo. Nemo ergo miretur, ſi Angelis comparentur, quę Angelorum Domino copulantur. *Ex S. Ambroſio l.* 2. *de Virginibus*.

Puritas nos Beatis in Cœlo ſimiles facit.

Conjicere poſſumus quanta ſit hujus virtutis præſtantia; quæ tanta eſt, ut nulla alia re vel anima, vel corpus ad eum felicitatis ſtatum propius accedere poſſit, ad quem evehemur, & ad eam vitam quam poſt reſurrectionem in Cœlo ducemus; ubi corpora noſtra non erunt amplius morti, & corruptioni obnoxia, uti modo ſunt, ſed incorruptibilia, atque immortalia, & toto Cœlo ſemota ab humili, abjectaque qualitate, quam S. Paulus vocat *animalem*, cujus quælibet actio ſingillatim maximam habet cum brutorum actionibus ſimilitudinem. Hanc autem felicitatem paucis complexus fuiſſe verbis JESUS CHRISTUS videtur, cum ait, in Cœlo nulla futuras nuptias, connubia nulla, quia in gloria homines erunt ad inſtar Angelorum. Quicumque ergo in cælibatu vitam ducit, & conatur cor ſuum tamquam ſanctum Templum tueri, corporis, animæque ſuæ puritate propius cœleſtem gloriam imitatur. Quamobrem S. Cyprianus de Virginibus Deo conſecratis verba faciens inquit: vos in anteceſſum eſſe incipitis, quod aliquando in cœlo eritis; antequam ex hoc mundo egrediamini, reſurrectionis gloriam poſſidetis; per mundum pertranſitis, quin de mundo cogitetis, & cum in innocentia perſeveratis, ſimiles Angelis eſtis. *Deſumptum ex Auctore Anonymo*.

Nos Deo quodammodo ſimiles efficit.

Fatendum eſt, Sanctus Baſilius inquit, puritatem eſſe magnum aliquid, & rarum; quandoquidem, ut omnia verbo complectar, efficit, ut mortalis ad divinam incorruptibilitatem accedat. Certum autem eſt, ſi virtus hæc in corpore, tamquam in ſubjecto ſuo, reſidet, illam nihilominus ab anima tamquam origine, & fonte procedere: ſi enim anima pura eſt, puritatis illius particeps eſt corpus, cumque illa agnoſcat Deum maxime purum eſſe, & ab omni labe ſemotum, vult eidem ſimilis eſſe, ut fidelis ſit, ſuamque tuens puritatem, hanc ad corpus uſque tranſmittit, ut Deo fidelius obſequatur. Itaque cum pro virili ab omni ſorde pura mundaque permanere cogatur, tamquam ſpeculum, in ſe recipit ſui Creatoris imaginem, qui in eadem omnia ſuæ pulchritudinis imprimit lineamenta. *Idem*.

Quid ad virtutis hujus gloriam ſublimius, atque præſtantius dici poteſt, quam cum Sanctis Patribus illi attribuere poteſtatem noſmet educendi de luto, qui naturæ noſtræ origo eſt, ut nos ad Angelorum conditionem, & ipſius Dei ſimilitudinem evehat? bonum adeo conforme naturæ noſtræ ſtudio, ut dæmon nihil aptius invenerit ad protoparentes noſtros decipiendos, quam ſi iiſdem polliceretur, futurum ut eſſent tamquam Dii. Sed quod falſo ipſis pollicitus eſt ille, cujus non erat promiſſi fidem ſolvere, hoc nos per hanc virtutem aſſequimur. Ut autem illius gloriæ, atque præſtantiæ accedat cumulus, cum publico, ſolemnique confirmatur voto in Religioſi alicujus perſona, particeps hæc etiam ſit immutabilitatis Dei, atque Sanctorum, qui de ſtatu ſuo deturbari non poſſunt, neque ſua felicitate privari. *Idem*.

Dubitandum non eſt, quominus Deus ab illis, qui ſeſe eidem per Sacra Religionis vota devovent, eam exigat puritatem, quæ adeo ſublimi affinitati conveniat. Sufficiet, ſi lubet, corporum caſtitas in conjugiis, quæ cum filiis hominum contrahuntur; ſed JESUS CHRISTUS in animabus, quas tamquam ſponſas recipit, exigit puritatem dignam ſua; & ad illas potius quam ad alias ea referuntur Spiritus Sancti verba: *Sancti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum*. Talis ſit Sanctitas veſtra, ut mea Sanctitas eſſe poſſit illius norma, & menſura. Et profecto videtis ſponſum in Canticis velle, ut Sponſæ pulchritudo perfecta ſit, atque abſoluta: cor enim illius adeo afficitur iis omnibus, quæ ab ea proficiſcuntur, ut unius intuitus incuria, unius cincinni incompoſitus ordo graviſſimum illi vulnus infligat: *vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui*. Ita vult, ne leviſſimum quidem defectum, aut maculam in ea reperiri: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*. Fidei conſonum non eſt, JESUM CHRISTUM ab illis, quibus Religionis nodo intime conjungitur, expetere ſolum caſtitatem ſenſuum, vel puritatem animæ, quatenus pertinet ad exteriora flagitia, non autem perfectam caſtitatem, hoc eſt integritatem, quæ omnibus voluptatibus igni, & aqua interdicat, & procul amoveat quidquid hac in re Deo poteſt diſplicere. *Abbas Trappenſis in vitæ Monaſticæ Officiis tom.* 1. *quæſt.* 4.

Caſtitas, quam Religioſus ſervare tenetur, nihil minus ſignificat, quam vivendi, agendique rationem prorſus irreprehenſibilem. Illa in omnem vitę diſciplinam extenditur, & nihil patitur eorum, quæ puritati vitium poſſunt adferre. Cum ille ſeſe penitus JESU CHRISTO devoveat; neque ulla ſit actio, ulla vox, ulla cogitatio, ullum vitæ momentum quod Dei non ſit, oportet, ut Deus unus totus, totum quantum eſt, illius cor adimpleat. At ne putetis, me hoc in loco ſenſus meos venditare, audite quid S. Baſilius ſentiat. Magnus hic Eccleſiæ Doctor virginitatis gratiam non in eo tantum conſiſtere docet, quod a conjugio abſtineamus; ſed opus eſſe ait, in omni vitæ ratione, ac in omni morum diſciplina Virgines eſſe; eos omnes, qui ad hunc ſtatum vocantur, perfectam præſeferre debere continentiam, atque eſſe ab omni corruptione, & impuritate prorſus immunes. Et ſane quamplurimi in fornicationem ipſis etiam vocibus nonnumquam decidunt, oculorum conjectu adulteria committunt, auditu polluuntur, ſinunt corruptionem pervadere cor ſuum, atque bibendi, & manducandi exceſſu temperantiæ fines excedunt. *Idem*.

De continentia, & ſenſuum caſtitate.

Non loquor autem de ſenſuum continentia, & caſtitate; ſatis enim noſtis, quid deceat, & hac in re auctorum ſententiæ non diſcrepant. Mementote ſolum, hanc eſſe baſin ædificii totius, cum eadem pereuntis, licet illa una non ſufficiat pro ejuſdem conſervatione. Hoc perſuaſum ſit, a vobis Theſaurum in fictili vaſculo ferri. Tamquam naufragium evitate quidquid vel minimum vulnus illi poteſt inferre; & quodlibet in re tanti momenti, vel leve malum tamquam maximum malorum omnium exiſtimate, ex quo emergere minime liceat. Licet enim nullus ſit lapſus, ex quo divina opem ferente manu conſurgere non poſſimus, & donec peccata noſtra lacrymis abſtergere poſſimus de venia deſperandum non ſit: hujuſmodi curationes tamen adeo ſunt infrequentes, ut dicere poſſimus eum, qui hac in re deliquerit, ſatis lacryma-

ſum invenire non poſſe, ut ſuam defleat infelicitatem, & peccatum ſuum deleat. *Idem*.

Caſtæ puellæ non ſatis eſt crimen, & extrema flagitia evitare; illa neque ullam voculam, neque ullum oculorum conjectum paulo liberiorem ſcelere vacare putat, ipſas etiam minus voluntatis cogitationes perhorret. Non ſatis eſt illi in maximis rebus eſſe irreprehenſibilem; omnia hac in re ipſi videntur maxima; non oculos, non aures habet, ut ea videat, vel audiat, quæ vel minimam labem menti ſuæ poſſunt offundere. Impudicæ fabulæ, hiſtoriolæ nefariæ, quæ hodierna die paſſim audiuntur; ſi auribus ejus acciderent, ſtatim a cœtu dilabaretur. Qui autem dicere poteſt quouſque illius cura, & religio progrediatur? improborum ſocietates fugit; non ſe credit, iis etiam, qui cautius agunt, & loquuntur. In illis, qui maxime virtute præſtant, ſexuum differentiam, in mulieribus morum, atque ſententiarum corruptionem extimeſcit. *Pater de la Colombiere tomo ſecundo*.

Cogitatio præſentis Dei maximum eſt hujus virtutis ſubſidium.

Cogitare præſentem Deum, & nos ab illo ubique videri, non parum prodeſt, ut noſmet contineamus, ut nulla in re virtutem adeo teneram offendamus, & denique ne quidquam faciamus, quod indecorum ſit vel nefarium: nihil quod tenebrarum licentiam redoleat. Homo enim, ut ita dicam, ſecum gerit lumen, propter quod ubique conſpicitur, neque eidem fas eſt, vel ſeſe occulere, vel aliam perſonam inducere; lumen enim illud detegit, quidquid ipſe facit, teſti facta illius propius exploranti, accuſatori aſſidue poſt illius terga clamanti, & judici, cui os ſublinire non poteſt. Fidelis, cui de his veritatibus perſuaſum fuerit, quocumque in loco ſit, quodcumque faciat, poteſt ne minus modeſte, & pudice ſe gerere? fovere ne poteſt deſiderium aliquod huic virtuti contrarium, quæ ita cordi eſt illi, ut nihil ferre poſſit, a quo vel minimum labefactetur? Si ſola cogitatio, ſapientem aliquem teſtem adeſſe, frænum eſſet iis etiam, qui majori libidine furunt; nullamne vim habebunt oculi Dei, quibus nulla nox eſt, tenebræ nullæ? illius præſentia nos intra modeſtiæ fines continere non poterit? *Pater le Moine, Tractatu de modeſtia*.

A teneris uſque unguiculis innutritæ ornamentorum, indumentorumque recentibus conſuetudinibus examinandis, ſæculi vanitatibus perſequendis, ſpectaculis diligendis, apud profanos Scriptores alienis amoribus colligendis, atque diſcendo quomodo, & actu, & oris ſpecie, uti poſſint ad ſeducendas animas; in id unum inſtitutæ, ut cupiant ſolum ſpectare, & ſpectari; atque ſe beatas putent, ſi lenociniis ſuis, atque illecebris, adoleſcentulum aliquem in amorem ſui pellicere noverint; hujus farinæ Virgines poſſunt ne cor corruptum non habere? nonne e contra fidem adſtruunt, animam ſuam eſſe corruptam? inde hic immodeſtus oris habitus, qui ad hoc inventus videtur, ut caſtitatem jamjam labantem, nutantemque annunciet; hinc ſermones illi parum caſtigati, & ad licentiam propius accedentes; hinc, ut verbo me expediam, ea vivendi ratio, quæ omni ſuſpicione non caret. *Deſumptum ex manuſcripto ſermone Patris Stephani Camillard*.

Pravorum librorum lectio maxime officit caſtitati.

Relicta ſanctorum librorum lectione, quæ foveat pietatem fidelium, plerique ad eos auctores confugiunt, qui ſuis ſatisfaciant deſideriis. Non contenti nefaria eorum librorum lectura, ubi adoleſcentes dolos callide nectendi artem ediſcunt, eos quærunt libros, qui impuri amoris affectum inſpirant; ea ratione, quæ quo magis ſuavis eſt, eo magis eſt pernicioſa; & comœdias, in quibus noxii exhibentur affectus, & quæ peſſimum virus, ac labem inſpirant. *Deſumptum ex ſermone Patris Maſſillon*.

Nullus dubitandi locus eſt, quin JESUS CHRISTUS damnaverit intuitus nimium liberos, atque adſpectus objectorum, quę noſtram cupiditatem irritant. Hęc ſunt Dei ipſius verba: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Qua in re duplex obtutuum genus diſtinguendum eſt; alii enim ſunt honeſtatis, urbanitatis, neceſſitatis, iique ſunt cum ſevera modeſtia conjuncti, quos quidem a Salvatore damnatos nequaquam fuiſſe liquido patet. Alii vero curioſi ſunt, adfectati, qui ad oculorum explendam ſatietatem accidunt; iique profecto ſemper ſunt noxii. Qui enim ita oculorum aciem conjicit, nę illi ſeſe objicit periculo in ſemetipſo impuriſſimam flammam accendendi. De hoc intuitu loquens Sanctus Gregorius Nazianzenus ait virum caſtum adeo eſſe cautum, ut ſe peccare putet, ſi ea intueatur objecta, quorum aſpectus aliquo modo poteſt puritatem laceſſere. *Lambert in ſermonibus de vita Eccleſiaſtica 14. ſermone de caſtitate*.

Caſtus oculos ſuos caſtigare debet.

Narrat Tertullianus, non defuiſſe Philoſophos, qui oculos ſibi effoderunt, quia ſe caſte vivere poſſe deſperabant, donec ſibi licuiſſet, illa intueri objecta, quæ ipſorum inflammabant cupiditatem. Violentum hoc remedium, ad quod confugere tenebantur, palam oſtendit, maximam fuiſſe eorum incontinentiam. Aliter fidelis agit; oculos ſuos ſervat, ſed non intuetur objecta illa, quæ in ſe excitare poſſunt prava deſideria. Veritates in corde ejus inſculptæ efficiunt, ut ad hæc objecta nihil magis attendat, quam ſi vere cæcus eſſet; *animus adverſus libidines cæcus eſt*. Ergo ſi vultis animarum puritatem tueri, oculis veſtris dominamini, qui ex omnibus ſenſibus, ut Sanctus Gregorius Nazianzenus animadvertit, ſenſus eſt maxime vividus, & præceps, & ad coercendum difficillimus. Cogitate imprudentem oculorum conjectum, periculoſæ cogitationis eſſe parentem, pernicioſam vero cogitationem producere noxiam cupiditatem; atque ut Dei Filius ait: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Idem*.

Ex quo audes oculorum aciem liberius quocumque conjicere, ſcias, cor tuum jam eſſe corruptum, quemadmodum explicite docet S. Auguſtinus, cum aſſerit, illum, cujus oculi caſti non ſunt, non poſſe cor caſtum habere. Quanti ſtetit imprudens intuitus Davidi, & quam funeſta ſcelera ſecum ille pertraxit? ſcias cum oculis tuis ſalutare fœdus illud icere, quod cum ſuis Job olim percuſſit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine*. Job 31. feci cum oculis meis pactum ſalutare: quodnam autem hoc eſt? ſcilicet ne unquam aperirentur ad ea curioſius inſpicienda, quibus affectus noſtri irritantur. *Idem*.

S. Chryſoſtomus imperat, ut Matres procul a virginibus ſuis amoveant quidquid earum pudicitiæ poteſt detrimentum inferre; eiſque ſuadet, ut ad earum ſervandam puritatem ea præſtent omnia, quæ efficiunt, ut ab igne illas præſervent. O matres fideles, eadem utimini diligentia cum Virginibus veſtris, cavete ne conſueſcant cum aliis puellis, quorum immodeſtia in veſtimentis, levitas in actionibus, in verbis appareat licentia. Ne habeatis domi impudentes ancillas, ac parum bene moratas pediſſequas, nę qua ſcintilla in filiæ veſtræ animam decidens graviſſimum ibi pariat incendium. Illam procul arcete ab earum puellarum atque mulierum conſuetudine, quibus mundi aura perplacet, & quæ in jocum traducunt eas, quæ pietati vacant, digito oſtendentes, atque irridentes illas quæ devotionem colunt; ne virgo hæc pietatem improbari audiens, illius guſtum amittat, atque poſt mundi conſuetudinem abeat. Quid enim inde ſequeretur, intelligere ſatis poteſtis. *Abbas de Fenelon in Chriſtiana inſtructione pro inſtitutione puellarum*.

Ejuſdem argumenti.

Ad earum puritatem, atque integritatem tuendam cavendum etiam diligenter eſt, ne naturali oris formæ aliquid addant, nihilque aliunde mutuentur ad fugacem pulchritudinem, vel commendandam, vel retinendam; quod facere conſueverunt paſſim in mundo puellæ, quæ cum non habeant ſatis illecebrarum, ut in ſe amorem hominum convertant, ad nęvos confugiunt, ad fucos, ad viſus, ad calamiſtros, ad cincinnos tamquam ad magiam naturalem, & colores alienos exquirunt, quibus deformitas ſeſe adornare conſuevit; & quæ hac artis improbitate non ſolum tegunt imaginem, quam in ipſarum ore delineavit Deus, verum etiam, uti loquitur Tertullianus, illam deformant, vitiant, delent. Fas non eſt Chriſtianam Virginem uti tantis illecebris ad animas perdendas, & ad id, quod Virgini antiquiſſimum, atque pretioſiſſimum eſſe debet, perdendum adlaborare. *Idem*.

Lævum judicium, quod de adoleſcentulis mundi pompas amantibus fertur.

Experientia nos docet, ridentes, & loquaces puellas, quę videre, viderique geſtiunt, quę ipſius domo egrediuntur, quę mundi lucem amant, ſodalitates inquirunt, munuſcula non contemnunt, atque ſibi verba dari patiuntur; has ut plurimum plures habere qui eas perſequuntur, quam qui illam inquirant: qui adulentur, quam laudent, & de honeſtate earum æquum judicium ferant. Eas palam quidem celebrant, at clanculum vituperant; eas irrident, atque in ludibrium vertunt. Cumque illæ non diu perſeverent, quin in ſcelus aliquod ruant; populi fabula fiunt, atque totius mundi ludibrium. *Idem*.

Puellæ cum obvias habent ſexus alterius perſonas, diligenter ſibi cavere debent, quamdam ſuperbiæ ſpeciem, vel ſaltem ſerietatem quamdam præſeferre, quæ illis optime quadrat; quoniam efficit, ut ſeſe ab inimici oppugnationibus tueantur; præſertim vero debent omnes officioſe agendi rationes exuere. Chriſtiana Virgo æquo, & libenti animo ferre non debet eos floſculos, eos amoris ſenſus, affectionis proteſtationes, eaque benevolentię teſtimonia, quę animos alliciunt, & fallunt; & quæ, ex Divi Hieronymi ſententia, ſunt morientis caſtitatis indicia. Immo ſerietate ſua teſtari debet, hæc omnia diſplicere ſibi, atque ſe minime pati eos, qui fabulas venditant, ut callide ipſam in vota ſua trahant. Ita prudenter ſeſe gerere debet, ſi velit, pudicitiam ſuam procul ab omni periculo, & ſuſpicione tueri. *Idem*.

Veſtium modeſtia non parum confert Caſtitati tuendæ.

Veſtes, S. Cyprianus ait, ſuam æque ac corpora habent caſtitatem; neque ſatis eſt carnis puritatem habere, niſi & veſtimentorum habeatur: virtus Chriſtiana utramque petit, ut virgo vere caſta ſit. Honeſtę mulieri ſatis eſſe non debet, ſi cor mundum habeat; oportet, ut cordis puritas in veſtibus etiam appareat, ut ex earum modeſtia de cordis innocentia judicium feratur. Virtus, quę aliquo honore dignum corpus noſtrum efficiat, pudicitia eſt: luxus hoc illi bonum aufert, & vana ornamenta chriſtianę virginis corpus deturpant. Caſtitas, Tertullianus inquit, non quęrit ornamenta, ut perfectam habeat pulchritudinem; ipſa ſua eſt pulchritudo, quę numquam magis Deo accepta eſt, quam cùm improbis diſplicet. *Idem*.

De indecora licentia oppoſita puritati.

Sanctus Baſilius inter Eccleſiæ Gręcę Patres pręſtantiſſimus, illecebras, oſcula, manuum attactus, aliaque id genus, quę in mundanis cœtibus accidunt, ignitis tactibus comparat. Si nudata manu candens arripis ferrum, ſtatim vides manum intumeſcere, puſtulas aſſurgere, ac paulatim graviſſima, & acerbiſſima vulnera gigni: ſimiliter, Doctor hic ait, hujuſmodi licentię, nimium liberi tactus inter utrumque ſexum repente cor ipſum feriunt, ibique cient incendia, quæ puritatis florem adurunt, quin nefarius ignis valeat extingui. At enim cavemus diligentiſſime, ne hæc accidant, & noxiam familiaritatem perhorreſcimus: ego vero, poſt Sanctos Patres, affirmo, pauciſſimos eſſe, qui hoc malum evitent: etenim omnes nefarię licentiæ in mundo tamquam liciti joci exiſtimantur. *Idem*.

De virginitate, & fœcunditate in glorioſa Dei Matre conſociatis.

Virgines ſunt tamquam Angeli hujus terræ, id unum cogitantes, quomodo placeant Deo. Hæc præſtantiſſima eſt portio Dominici gregis; quandoquidem ex SS. Patrum ſententia Virginitas flos eſt virtutum, corporum ornamentum, honor ſenſuum, pulchritudo animarum. Si conjugia terram incolis replent, cœlum a Virginitate repletur, virginitas enim Sanctos, & conjugium peccatores producit. Virginitas hominem Deum parit; quamobrem Sanctus Auguſtinus ait, ſi Deus naſciturus erat, illi ex matre Virgine naſcendum fuiſſe; & ſi Virgo erat paritura, nonniſi Deum parere potuiſſe. *Idem*.

Negari non poteſt, fœcunditatem, atque virginitatem duas eſſe eximias qualitates; quandoquidem in Sancta Trinitate inveniuntur; quæ a S. Gregorio Nazianzeno rerum omnium origo, & Virginum omnium princeps vocatur. Ex hoc infinito eſſentiæ, & puritatis pelago duo iſti fluvii ad nos uſque defluxerunt; ex hoc intellectualis ſolis globo hi duo radii diſceſſerunt ad naturam noſtram & perficiendam, & exornandam. Sed duo iſti fluvii ex origine ſua recedentes infeliciter ſeparati ſunt: duo iſti radii e ſua ſphæra dilapſi ſeceſſerunt, atque ſeceſſione ſua plurimum ſuę dignitatis amiſerunt. Si enim fœcunditas mundum replet, ſi ſpeciem tuetur, ſi in patrum, matrumque locum filios ſubſtituit, ſi prohibet, ne homines omnino moriantur, tribuens illis, & vitę ſucceſſores, & bonorum hæredes: ſi Deo ſubditos, JESU CHRISTO famulos, Eccleſiæ Filios, Cœlo Cives tribuit: ipſa tamen graviſſimis eſt obnoxia defectibus. Illam impuritas, & corruptio comitantur: peccatum originale concupiſcentiam addidit, & dolorem, atque licet innocens, & irreprehenſibilis eſſe poſſit, non poteſt tamen eſſe ſine verecundia: nam ut Sanctus Ambroſius ait: *Licet bona ſint conjugia, tamen habent, quod inter ſeipſos conjuges erubeſcant*. Virginitas adhuc eſt admirabilior ipſa fœcunditate, neque immerito vocatur corporum honor, morum ornamentum, ſanctitas ſexuum, fons puritatis, affectuum victoria, pax Spiritus, cum Angelis familiaritas.

Hæc enim divina virtus eſt, quę præcocem corporibus incorruptibilitatem impertit; illaque ſpiritualia, & prorſus cœleſtia efficiens, animamque a ſenſualium voluptatum, & carnis commercio divertens in ſuum reſtituit imperium. Verum enim vero Virginitas hæc ſterilis eſt, nihil in mundo parit; & hic defectus non parum meritum ejuſdem imminuit. Flos eſt hortum, ubi exiſtit, exornans; odor illius ſuavis, & gratus eſt; ipſa vero cum admiratione reſpicitur, ſed numquam in fructum convertitur. Ideo in naturæ lege cognita non fuit, in lege Moyſis contempta, a Philoſophis damnata, a Politicis punita, a paucis amata, a pleriſque impoſſibilis judicata, apud Judęos maledicto, atque imprecationibus ſubjecta, apud Ethnicos impietati, & ſacrilegio devota, ac tandem tamquam Reipublicæ excidium exiſtimata. Incomparabilis Dei Mater ipſa una feliciter utramque hanc præſtantiſſimam virtutem conciliavit, eaſque in perſona ſua conjungens ipſarum delevit maculas, eiſque primævum fulgorem reſtituit. Verum proh ſuperi! quam miraculoſa eſt hæc utriuſque virtutis ſocietas! quot prodigiis opus fuit, non ſolum ut fieret, verum ut perſuaderetur & jam facta; & poſſibile fuiſſe, ut fieret! *Ex Auctore Anonymo*.

Quam præſtet conjugio virginitas.

De conjugii Sanctitate citra errorem dubitare non licet; verum Virginitati denegari minime poſſunt ea privilegia, propter quæ idem præſtat; quin ipſum Dei Filium lædamus. Hoc enim eſt virtutem lædere, qua nihil eidem antiquius fuit; & obſiſtere veritati, quam & ipſe protulit, & toties iis iteravit oraculis, quibus, tamquam ſibi, fidem haberi juſſit: quia per illorum os, & calamum, ad nos loquitur, & nos erudit. Docet Evangelium, JESUM CHRISTUM ex hac virtute, quam in perſona ſua conſecravit, quam peculiari familiaritate dignatus eſt, quam in chariſſimis amicis ſuis commendavit, quam iis omnibus, qui conjugii vincula ſubire nolunt, præſcripſit, ortum ducere voluiſſe. *Deſumptum ex libro, cui titulus, Diſcours ſur les ſujets les plus ordinaires des Deſordres du monde, par le P. Heliodore de Paris. Sermone quinto*.

Virginitas corpus, animumque ſanctificat; perſonam Deo penitus devovet, illam divellens ab his omnibus, quæ vel minimam partem ipſius poſſent diſtrahere. Hęc virtus animum magis idoneum reddit, ut Deo vacet, perfectiones illius meditetur, cum eo verſetur eidemque placere ſtudeat; quia nulla angitur cura placendi viro, atque familiam regendi. Virtus hæc efficit, ut cor ardentius, atque conſtantius Deum poſſit amare, non enim patitur, ut cor inter virum, ac filios dividatur. Hæc denique virtus opem fert, ut Deo ſerviamus majori fide, diligentia, facilitate, quia hominem diſponit ad illum cognoſcendum, atque perfectius amandum, eidemque majorem relinquit libertatem illius ſervituti ſeſe devovendi; quæ omnia bona ab Apoſtolo exhibentur in prima ad Corinth. Epiſtola cap. 7. ubi addit, virtutem hanc particulare Dei donum eſſe, & effectum gratiæ ſingularem: ipſum ſibi hoc non arrogare, ut fidelibus eam præcipiat virtutem, quam neque Deus ipſe juſſit, verum eamdem etiam atque etiam ſuadere tanquam fidelem Domini Miniſtrum, qui & ipſe Dei ſpiritum ſe habere putat; ſe fateri quidem, ſanctum eſſe conjugium, ac magnum honorem deberi ſocietati, quæ JESU CHRISTI ſanguine fuerit ſanctificata, & quæ imago eſt fœderis ejuſdem cum Eccleſia; verumtamen ſe majori in pretio habere virtutem eam, quæ majorem habet cum infinita Dei puritate ſimilitudinem, & quam JESUS CHRISTUS, & electione ſua, & laudibus conjugio docuit anteferendam. *Idem*.

Difficultates in hac virtute tuenda ſuperandæ.

Non ſine pluribus, iiſque graviſſimis certaminibus hæc virtus perſiſtit in propoſito atque in fidelitate digna, quam JESUS CHRISTUS, & Apoſtolus laudibus celebrent. Homo ut ſuam tueatur innocentiam ſæpe Dæmonem, mundum, ſpiritum, cor, corpuſque ſuum ſuperare debet; ſibi denegare debet, quod enixius deſiderat, ſibique interdicere voluptates, ne Deo diſpliceat. Merito igitur Deo ea placet virtus, quæ tot agitur curis, ut illi placeat; merito majora ille præparat præmia virtuti, quæ ſibi egregiam, jucundamque ſervit ſervitutem; merito triumphos magis glorioſos deſtinat virtuti, quæ ſæpius pro ipſo dimicat, quæ hominem contra ſeipſum acuit, eumque cogit, ut contra ſe de-

decertans de ſeipſo victoriam reportet, ut puritatis Deo ſatisfaciat. *Idem*.

Pictura quælibet, quæ nobis Veſuvii, aliorumque montium ſinu ſuo perpetuos ignes alentium, flammas exhibet; tabulæ, & imagines, quæ ob oculos noſtros inſignium oppidorum incendia repræſentant, denique maxime horribiles Infernarum flammarum, vel eorum ignium, qui poſt ſeculorum finem quidquid eſt ſuper terram, abſumpturi ſunt, pictæ imagines; omnes hæ repræſentationes, quæ nos perterrefaciunt, ne unam quidem ignis ſcintillam producere poſſunt in iis etiam rebus, quæ ad ignem corripiendum ſunt magis diſpoſitæ: ſed intuitus tabulæ laſcivum objectum, inhoneſtum, & indecorum corporis habitum referentis, aliquando poteſt in corde tantum ignem accendere, ut homo officii, & propoſiti ſui obliviſcatur iis obſecuturus cogitationibus, quas obſcœnæ illæ imagines excitant. *Idem*.

In re hac minimæ etiam licentiæ intuendæ.

Pudor cum aliis rationibus conjunctus pati nequit eas licentias, quæ palam noxiæ videntur in iis, quibus adhuc Dei timor, & aliquis honeſtatis ſenſus ſuperſunt. Sed licet ſanctum propoſitum pudicitiæ ſervandæ conceperis; aſſiduitas, ſermones blandi, epiſtolia affectu redundantia, cæteraque vehementis amoris indicia paulatim cor ipſum emolliunt, frontem indurant, acerrima etiam propoſita, eaque ſtudia infirmant, quæ & genus, & inſtitutio ad virtutem immiſerant. Denique longius etiam omni expectatione proceditur; & numquam exiſtimaſſemus nos in illud ſcelus decidere poſſe, propter quod reliquum vitæ ſpatium erubeſcimus. Fieri quoque poſſet, ut qui leves has licentias, vel ſibi permiſerit, vel ſecum exerceri paſſus fuerit, nullum umquam turpe deſiderium concipiat; ſufficit tamen, ut metuendi ratio conſtet ad hoc ut noxæ mortalis reus ſit, atque ſeſe ab illis abſtinere teneatur. *Idem*.

Primos, minimoſque affectus adeo noxii, atque proditorii impetus coerce, neque adeo perfidis ſpeciebus fucum tibi fieri ſinas. Putas blanditias has, & hujuſmodi exiguas licentias ad ſummum eſſe naſcentis affectus indicia, quem, ubi volueris, facile convellere poteris; vel ſcintillas quaſdam, quæ ubi ad officium diligentius attenderis, ſtatim poſſis extinguere: verum conſidera ſcintillas has ex eodem igne proficiſci, qui maxima producit incendia, & levia hæc amoris indicia ex eadem affectione oriri, per quam graviſſima flagitia patrantur. Sed oleum, operamque perdo, ea tibi ob oculos ſubjiciens pericula, quibus temetipſum objicis parum paſſionis hujus effectus extimeſcens. Tibimetipſi, tuæque experientiæ integrum relinquo, in re hac edoceri, teque ad impuras has cogitationes, ad incompoſitos motus, ad violentas cordis tui agitationes remitto. Tibimetipſi crede illa in re, ubi adverſus adeo periculoſum hoſtem ſatis tibi cavere non potes. *Idem*.

De malis contra puritatem cogitationibus.

Neque putes, externo aliquo inimico te ad malum ſollicitari, quem quidem omni vi, ac virtute propulſare debeas, vel illi ſaltem conſtanter obniti: ſæpe tu ipſum te ad malum ſollicitas: animus tuus, cogitationes tuæ te impellunt, ut crimini aſſenſum præbeas; hæ te cogunt, ut te ipſum corrumpas, ac tibimet eripias eam virtutem, propter quam Deo places. Eaſne agere ſines? illiſne citra horrorem præbebis aures? illas cum voluptate fovebis? nullum conatum exeres ad eas propulſandas? ſi illis aſſentiris, immo ſi ultro in iiſdem moraris, jam periit caſtitas tua; cor tuum mundum eſt, & tua voluntas corrupta. At enim abſit, ut aliquid turpe audeam, & id exequar, quod exhibent cogitationes, & cujus adeo vividam graphidem mea mihi proponit imaginatio: at nonne ſatis nocens es, quod has cogitationes audis, quod non ſtatim illas repellis, quod per negligentiam majoribus flagitiis præbes occaſionem? *Idem*.

Certiſſima veritas eſt, atque extra omnem dubitationis aleam poſita, nos teneri ad ea evitanda, quæcumque puritatem lædere poſſunt; ideoque nobis abſtinendum ab inſpiciendis tabulis, imaginibus, ſimulacris, actionibus, nuditatibus, a legendis libris, & epiſtolis, quæ excitare poſſint cogitationes, vel deſideria oppoſita caſtitati. Certum eſt nobis moderate utendum eſſe eſculentis, & poculentis, quæ ut plurimum has cogitationes, & mala pariunt deſideria; præſertim vero vitandum otium, quod corruptionis fons eſt, ex quo plerumque turpes oriuntur cogitationes; ea autem ratio eſt, quod non ſolum ſcelus eſt malum committere, ſed culpa non vacat a malo committendo procul non abeſſe, & profecto non eſt abeſſe a malo illius occaſionem inquirere, vel in illius committendi occaſione verſari. *Idem*.

Omnem etiam abjicere ſpeciem debemus, quæ caſtitati adverſari videatur.

Satis caſti non ſumus, cum cauſam præbemus, ut a proximis impudici habeamur; ſi enim puritatem eo haberemus in pretio, quo eſt habenda, illius jacturam non pateremur, neque in hominum exiſtimationem anſam illi præbentes judicandi, quod non ſatis a vitio eidem oppoſito abhorreamus. Quapropter cum virtutem hanc exercere teneamur, tenemur quoque, nihil intueri, nihil audire, nihil loqui, quod ſit caſtitati contrarium; ſed ea gerere indumenta debemus, eos ornatus, in quibus nihil non conforme huic virtuti inveniatur. Inanibus pompis abrenunciandum eſt, flammis adjudicandi ſunt libri, & caſtiganda ſimulacra, vel tabulæ, quæ fidem adſtruunt virtutem hanc non ſatis digne a nobis æſtimari; atque evitanda ſunt eorum, qui liberiores putantur, conſortia. Hucuſque late extenditur obligatio omnem relinquendi ſpeciem, quæ hominibus perſuadere poſſit, caſtitatem a nobis non ſatis amari; quandoquidem tanta incuria illam extrinſecus tueri negligimus. *Idem*.

Caſtitas omnem impuritatis ſpeciem prorſus proſcribit, ac ſumma cura prævertit, omnemque flagitii amovet ſuſpicionem; quantum in ipſa eſt, ſenſus ſibi conformes inſpirat; ejus honeſtas, atque modeſtia in illorum corda ſeſe inſinuat, a quibus diligitur, atque nimia libidinis inſania furere exiſtimandi ſunt illi, quorum inſolentiam virtutes hæ non coercent. Caſtitas ſe poſſidentem ab iis omnibus purificat, quæ oculos, os, aures, & corpus reliquum fœdare poſſunt; nihil aſpicit, nihil inquit, nihil audit, nihil oſtendit, quod claritati ſuæ labem poſſit offendere. Nihil non puriſſimum in hominem caſto deprehendi poteſt; nihil enim in ſe, nihil in domeſticis ſuis caſtitas patitur, quod non ſit ſibi conforme. Hæc ſumma cura ſeipſam tuetur, & metuit, ne vincatur, eo quod & corporis, & mentis, & cordis ſui dolos timet, ne cum externis hoſtibus ſuas vires conjungant, a quibus ſeparari non poteſt, niſi cor proditione facta cum eiſdem conjuret. Hac de cauſa nihil facere, nihil pati tenetur, quod hoſtibus ſuis vim addere poſſit, qui unanimi agentes conſenſu conjunctis viribus impetum faciunt, ut illam expugnent. Conſiderat illa ſuam cladem, ſuumque excidium timet in his omnibus, a quibus labefactari, & ſuperari poteſt; ideoque a veteri quodam auctore *munimen ſanctimoniæ appellatur*. *Idem*.

Caſti curam gerunt caſtitatis proximi.

Virtus hæc cum proximi puritate ita cohæret, ut contra eamdem agere, atque ad ejuſdem excidium aliquid conferre minime poſſit. Caſtitas parere poteſt etiam caſtitatem: hanc enim flagitioſiſſimo cuique, & increpationibus, & exemplis poteſt perſuadere; at numquam poteſt, ſaltem data opera, gignere impuritatem. Illius obtutus, ſermones, veſtes, facta puritatem inſpirant; eaque extrinſecus æque ac intrinſecus puriſſima eſt. Non enim ſatis eſt Deo cor purum eſſe; optat etiam, ut videatur, ac jubet omnem hominibus auferri cauſam ſuſpicionis contra caſtitatem externa corporis ſpecie quam virtus hæc pati non poteſt; non ſolum, quod oppoſita eſt ſtudiis illius, ejuſque propriæ ſecuritati, ſed quod aliorum puritatem impugnat, quæ ſibi chariſſima eſt, & cujus curam ſibi diligentiſſime gerendam eſſe arbitratur. *Idem*.

Crederene te caſtum potes, cum aliis tot præbeas occaſiones de caſtitate tua ſuſpicandi? caſtitas procul ab homine ſemovet omnem ſpeciem, quæ dubitationem ingerere poſſit utrum ille oppoſitum vitium abominetur, tu vero oculos conjicis, loqueris, audis, teipſum comis, cum illis verſaris, quibus negotium nequaquam faceſſit, quid de ſe alii ſentiant, & judicent, & qui ne moventur quidem, ſi male audiant. Caſtitas peculiarem gerit curam inimicis omnem aditum intercludendi, ne oppugnetur: tu vero omnem illis patefacis aditum, anſam omnem, atque audaciam præbes eo corporis habitu, qui illos ad te impugnandum invitat, iiſque perſuadet, futurum ut non diu eorum impetus ſuſtineas, cum jam fere victus ſis. *Idem*.

Caſtitas cum difficultate ſervatur.

Chriſtiana caſtitas omnia divinitus accepit, ut Tertullianus inquit: Cœlum illi ortum, inſtitutionem, ac diſciplinam tradidit. Excellens tamen hæc virtus non ideo minus rara eſt; perfecta non eſt, niſi cum plurimis difficultatibus, & vix perpetuam caſtitatem inveneris. Hoc olim S. Hieronymus hæretico reſpondit pro mundi conſervatione laboranti,

ac metuenti, ne Virginitas urbibus cives auferret. Virginitas difficilis eſt, Pater hic ait, & quia difficilis, rara; ſi omnes virtutem hanc excolere poſſent, Dei Filius non diceret: *Qui poteſt capere capiat*. Qui eamdem tueri conantur, illi ſciunt, quanti ſibi ſtet; & qua auſteritate ſibi jejunandum ſit, ut fomitem ſubtrahant concupiſcentiæ: quę omnes cura inutilis adhuc eſt, niſi divinæ gratiæ ſubſidium acceſſerit: niſi Deus ſuum brachium tetenderit, actum jam eſt de humana imbecillitate. *Idem*.

Nemo unus ignorat, Virginitatis jacturam reparari non poſſe. Gratia efficere poteſt pœnitentem; pœnitentia poteſt efficere, ut homo convertatur; converſio vero hominem caſtum, & ſanctum præſtare poteſt; ſed non gratia, non pœnitentia, non converſio, non caſtitas, non ſanctitas reparare poſſunt amiſſam virginitatem. Deus, qui commiſſum contra hanc virtutem facinus remittere poteſt, virtutem ipſam non poteſt reſtituere: poteſt quidem attollere, qui cecidit, ad gratiæ gradum ſublimiorem, ſed neque nomen, nec qualitatem Virginis illi reddere poteſt; hæc enim virtus integerrima eſt corporis, mentiſque puritas, quam nullum unquam coinquinavit ſcelus, nullus unquam gravi flagitio conſenſus fœdavit. Virtus adeo pretioſa meretur igitur, ut ad eam tuendam omnis cura impendatur. *Idem*.

Joſephi, & Suſannæ elogium.

Suſannæ caſtitatem cum Joſephi caſtitate comparo; adeo honeſtam mulierem cum adoleſcente adeo puro; Dei amicam cum filio Iſrael: uterque caſtitate ſua ſimilem coronam promeretur. Sub utriuſque victoris pedes victos ſtatuo; impudicam Ægyptiam dominam liberi ſervi ſub pedibus Joſeph, & ſub Suſannæ pedibus duos illos impudentiſſimos Senes: Suſanna, & Joſeph duo erunt caſtitatis patroni; mulierum, & virorum exempla. Eorum fulgor in univerſum effundetur orbem; ipſi erunt tamquam reſurrectionis primitiæ; ipſi adulteros judices judicabunt; ipſi legitimorum conjugiorum honorem tuebuntur. *Deſumptum ex quodam ſermone S. Aſterii*.

Puritas virtus eſt, quæ nos Angelis ęquat: Puritas illorum felicior eſt, noſtra generoſior: nobis adverſus carnem confligendum eſt, illis vero non item. Nos inter tot inimicos nonniſi magnis certaminibus puritatem noſtram ſervare poſſumus: ex quibus etiam quam pauci victores egrediuntur! Virginitas nos Deo propiores facit; in ipſo Deo, S. Ambroſius ait, exemplum, quod imitetur, inquirit: æternus enim Pater & Virgo, & Pater eſt. Ita Deus carnem aſſumere volens, voluit ex Virgine naſci; ita puras animas ſumma benevolentia complectitur, illis magis peculiari ratione ſeſe communicat, illis ſua detegit ſecreta, illas ſuis cumulat beneficiis. Magnas profecto JESUS CHRISTUS Petro contulit gratias; quippe zeli ipſius rationem cenſuit habendam; ſed Joannes ſolus, qui Virgo eſt, ſuper pectus, & cor JESU CHRISTI requieſcit; illi uni aditus patet ad divinum hoc Sanctuarium, illi uni graviſſima, & maximi momenti ſecreta aperiuntur. Confeſſores, Martyres, Apoſtoli magna quidem habent privilegia; ſed Virginibus tantum datum videtur, ſequi Agnum quocumque ierit. Hæ ſponſæ illius ſunt, & egregia hæc qualitas illis ubicumque aditum aperit. *P. Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus tom 4.*

Virginitas theſaurus eſt pretioſiſſimus, ad quem ſervandum tot animæ generoſæ ſanguinem, vitamque ſuam profuderunt. Theſauri hujus cura difficilis eſt, ſed jactura irreparabilis. Gratia ſemel amiſſa iterum acquiri poteſt, at Virginitas non poteſt reparari; & nihilominus nihil facilius eſt, quam eamdem amittere. Nos vero adeo facile theſaurum hunc exponentes, illius jacturam quærere videmur, & fortaſſe noſtræ adſcribimus felicitati detrimentum, quod nobis eſſe deberet æterni doloris cauſa! *Idem*.

Curioſitas quomodo ſit huic virtuti contraria.

Impuritatis Dæmon cor illius expugnare cupiens, qui nondum pudorem, ac Dei metum abjecit, eadem ferme utitur arte, qua exercitus Imperator, qui de ſpe dejectus vi oppidum aliquod expugnandi cum oppidanis ſecreta init colloquia; ita dæmon nonnullis paſſionibus utitur, quæ videntur innocuæ, vel quæ ſaltem nulli ſunt obnoxiæ ſuſpicioni, & quæ cum ipſo nullam habere videntur neceſſitudinem, fretus futurum ut earum auxilio quamprimum occupet cor quod ſibi non ſatis cavebit, atque certiſſime ejuſdem aſſequatur imperium. Hujuſmodi autem paſſiones ſunt vanitas, curioſitas, præſumptio; quid enim cum impuritatis peccato minus rationem habere videtur, quam iſtę? Iſtæ tamen Dæmonis Regnum in mundo conſtituunt, atque inde ejiciunt caſtitatem. *Idem*.

Affectus, qui minorem cum impuritatis peccato rationem habere videtur, at nihilominus eidem in corda noſtra aditum aperit, curioſitas eſt, quæ efficit, ut noxios libros evolvamus. Nihil innocentiæ, atque puritati tot adoleſcentulorum pernicioſius eſt quam libri ineptiſſimorum amorum refertiſſimi, qui ſub inani ſpecie ſermonem edocendi mores corrumpunt. Si eorum lectione mens eruditur, vitiatur animus; ſi diſcitur mundus, dediſcitur Chriſtianiſmus, & per jacturam devotionis, timoris Dei, & puritatis, qui quidem frequentiſſimus eſt hujuſmodi lectionum fructus, ſenſim aperitur via ad caſtitatis jacturam. *Idem*.

Maxima incendia plerumque ex neglecta ſcintilla orta ſunt: maximi lapſus ſæpe ex inconſiderato obtutu proficiſcuntur, quemadmodum accidit David, qui in ſcelus ruit, eo quod a periculoſo objecto ſtatim oculos non avertit. Quoties animæ innocentis excidium attulit ambiguum verbum, a quo non ſtatim ſublata fuit cogitatio? maxima quæque flagitia exigua quadam licentia, quæ non illico fuit coercita, initium habuere.... Adde his quod quantumvis parum flammæ admoveatur, lucerna extincta quidem, ſed adhuc fumigans, facile accenditur. Hęc fortaſſis eſt cordibus veſtris diſpoſitio? illud pro virili ab illis objectis arcete, a quibus flammam corripere poteſt. *Idem*.

Occaſiones, in quibus hæc virtus maxime periclitatur.

Spectacula, choreæ, comœdiæ, amatorii libelli, nimium tenera cantica, ſermones nimium liberi, æquivoca, vel obſcœna verba, parum modeſti mulierum geſtus, oris habitus nimium hilaris, nimis mundana ornamenta, periculoſæ nuditates, conſuetudines, ac nimis intimæ familiaritates, ſunt veluti arma quibus Dæmon puritatem aggreditur. Hæc omnia ſibi permittere, vel pati in illis, qui pendent a vobis, idem eſt ac aſſentiri Dæmoni impuritatis, atque pernicioſis ejuſdem conatibus velificari. Quis pudor mulieribus, & puellis, quæ ſe chriſtianas nuncupant, Dæmonis inſtrumenta fieri? nihilominus vero ſe caſtas eſſe contendere, idem eſt ac factum aſſerere, quod omnino fieri non poteſt. Id ſperare præſumptionis eſt; id a Deo petere, illum vel tentare eſt, vel illudere. *Idem tom. 3.*

Pudor quidem ſuos habet ſcopulos, cum nobiſmet diligentiſſime non cavemus, neque eas quæ neceſſariæ ſunt, curas impendimus; at nihil periculoſius eſt, quam cum improbis conſueſcere; virus, quod illi inſpirant, optimam quamlibet naturam corrumpit, ac ſenſim poſt illorum exemplum abimus. Ita ad ſervandam adeo teneram virtutem, cui noſtræ felicitatis hoſtis laqueos ubique ſtruit, omnino interdicenda ſunt adoleſcentibus colloquia teneri amoris referta, blanditiæ, illecebræ, colloquia ſolius cum ſola, deambulationes, viſitationes, & frequentes aſſiduitates. Quotidie enim videmus horum nimis liberarum conſuetudinum effectus maxime funeſtos. Quod ad puellas attinet, matribus nequaquam ſatis eſſe debet, ſi eaſdem a theatris, comœdiis, maliſque cœtibus arceant; verum neque permittere debent, ut laſcivos, effeminatoſque numeros, & verba vel audiant, vel canant; ne infelici hac illecebra cor earum molliatur. Non ideo tamen includendas puto, vel prohibendum illis, ne aliquem videant; permittenda utique ſunt illis ſolatia honeſtæque animi relaxationes cum ſodalibus ſuis, quarum ſapientia, & virtus ſit explorata. Matres tamen & ipſæ intereſſe debent, atque oſtendere, non diſplicere ſibi, ut illæ, dummodo citra noxam fiat, oblectentur. *Ex pluribus locis collectum*.

Quam Deo accepta ſit puritas.

Cum puritas magis admirabilis ſit, ex Patrum ſententia, in hominibus ea carne circumdatis, quæ præſto eſt ad rebellandum adverſus ſpiritum, quam in Angelis; hęc facit, ut Deus cœlum pro terra relinquat cum Virginibus converſaturus, quæ ſunt inſeparabiles Agni ſociæ, maxime illuſtris portio Dominici gregis, & locupletiſſimus Eccleſiæ theſaurus. Utique fideles, digniſſimum divinitatis in hoc mundo Templum eſt anima innocens, quæ Virginali candore commendat dona gratiæ, & Spiritus Sancti, quibus ornata eſt; quæ ſemper ſibimetipſi attenta ſedulo omnes amovet cogitationes, quę interiori concupiſcentię fomiti alimenta ſuppeditare poſſent; & quæ non ſolum prohibet, ne vel levis infernalis hujus ignis fumus ad ſuperiorem uſque partem ſe attollat, verum etiam diligenter

cuſtodit vas carneum, qno circumdatur, ut ſecundum Apoſtoli conſilium illud ab omni labe mundum tueatur: *Ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione*. 1. ad Theſſal. 4. *Eſſais de ſermons, pro Adventu*.

Puritatis, & humilitatis fœdus.

Morales Theologi docent inviſibili quadam catena virtutes omnes ita invicem ſibi connecti, ut earum una perfecte acquiri non poſſit, quin & aliæ ſimul acquirantur. Hic tamen nexus inter humilitatem, atque virginitatem præcipue deprehenditur. Eorum, quæ in terris accidunt, experientia nos docet, ſuperbas animas plerumque affectibus ignominiæ tradi. Deus enim ita punit Pſeudoſapientes illos, qui buccis ſuperbia tumentibus fallacis prudentię præcepta venditabant. Facta ſunt illi pravorum deſideriorum, obſcœnarumque cupiditatum mancipia: *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*. Cum enim Dæmon ſit ſpiritus immundus, quia ſpiritus ſuperbus eſt, ex duplici hac nota diſcipuli illius agnoſcuntur. *Idem*.

Deſiderium placendi oppoſitum Caſtitati.

Fieri non poteſt, Tertullianus ait, te caſtam eſſe, ubi foves deſiderium proximi oculos in temet convertendi: *Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter irritatorem libidinis ſcimus*. Quereris, modeſtiam hanc nimium eſſe ſeveram, nimiumque difficilem, caſtitatem nimis moleſtam fieri propter noſtræ carnis infirmitatem, & hoc ſæculo arduum eſſe illam tueri. Attamen inevitabile præceptum eſt tueri caſtitatem propriam ſtatus ſui cum ipſo etiam vitæ ipſius impendio. Ati reſtitiſtine eouſque, ut ſanguinem tuum, ut olim Beata Agnes, effunderes? Velleſne ſubire martyrium exemplo tot Sanctarum Virginum, quæ mortem, atque ſæviſſimos cruciatus pati maluere, quam pretioſum hunc theſaurum amittere? *Ibidem*.

Te plurimis pravis cogitationibus obſideri, & agitari, non miror. Si oblectaris illas animo verſare, atque fovere, jam nocens es: verumtamen invito ſi obrepunt, ſi illa repellis, ſi tibi diſplicent, ſi nihil intentatum relinquis, ut eas procul ejicias, ſcias, toties tuum augeri meritum, ac tibi totidem in Cœlo coronas acquiri. *Dæmonum eſt malas cogitationes ſuggerere*, S. Bernardus ait, *noſtrum eſt illico eas expellere*. At inquies, omnes meas vires contendo, verum hoc aſſequi non poſſum. Quid aſſequi non potes? ut videlicet penitus exulent, & numquam ultra revertantur? an ut illis reſiſtas? fateor quidem non ſemper in tua poteſtate eſſe poſitum, ne te importune laceſſant; at tuum eſt, vacuos efficere omnes Dæmonis conatus. Pro certo teneas oportet hac in re S. Bernardi regulam: *Cogitatio immunda mentem non inquinat, cum pulſat, niſi cum hanc ſibi per delectationem ſubjugat. Pater Duneau ſermone pro feria quarta poſt tertiam hebdomadam Quadrageſimæ*.

Pudor, & modeſtia caſtitatem tuentur.

Pudor, & modeſtia ſociæ ſunt, & cuſtodes caſtitatis; hæc numquam læditur, donec pudor nos regit. Hoc vero in modeſtia utilius, & majori in pretio habendum eſt, quod, cum virtute prædita ſit, virtutem pulchritudini impertit; cum ſancta ſit, animas ſanctificat, & facit, ut placeant Deo. Ipſa remedium eſt duplicem habens in pulchritudine effectum; illam corrigit, ac præſervat; eam enim in hoc ſtatu conſtituit, ut neminem lædat, & a nemine lædatur: recentem illi decorem tribuit, quin augeat malum effectum, quem illa parere conſuevit. *Auctor Anonymus*.

Affirmare, mortales omnes coram impuritatis idolo genua flectere, Dei ſpiritum non poſſe ulterius in homine permanere, quia omnes carnem ſuam polluerunt, hæ locutiones quidem ſunt nimis acres, nimiſque vehementes declamationes, quas zelus ex ore ferventium Concionatorum extorqueat. At ſibi perſuadere fieri non poſſe, ut quiſquam univerſale hoc diluvium effugiat, voluptatem omnia latæ ſuæ ditioni ſubjicere, ſeveriſſimam quoque virtutem ſibi ſatis cavere non poſſe, non deeſſe momentum illud fatale, quod ænea etiam corda flectat, & ſubigat, hæc rapſodia eſt impurarum ſententiarum, quæ toties in ſcena repetitæ fuerunt, & quas concentus per aures in ipſam mentem traduxit; ſententiarum inquam, quas flagitioſi homines arripiunt cum voluptate, quia ſtudiis ſuis favent, & imbecillitatis ſuæ afferunt excuſationem. Sed, ſi vere loquendum eſt, ac certioribus principiis, hoc eſt promiſſionibus JESU CHRISTI, vi gratiæ, ac virtuti Sanguinis Dei inſiſtendum, dicine poteſt, adeo paucos a generali contagione immunes fuiſſe, ut eorum exempla libidinoſis objicere minime liceat? *Sermo manuſcriptus Patris Fr. Catrou*.

Natura caſtitatis principia nobis inſpirat, quæ colere ſatis eſſet ad hanc virtutem tuendam.

Natura mortalibus omnibus infudit pudorem, & naturalem quemdam horrorem, quo fœdum impuritatis vitium perhorret; neque aliud ipſis fortius propugnaculum eſt, ne in hoc ſcelus ruant. Pudicitia hæc, S. Bernardus inquit, efficit, ut omnem vitii turpitudinem intelligamus, hæc nos excitat, ne noſmet polluamus, hæc rubore os noſtrum ſuffundit ad turpis objecti conſpectum, hæc naturalis eſt cuſtos puritatis: *Propugnatrix puritatis innata*; hæc eſt exiſtimationis immarceſcibile columen: *Famæ cuſtos*; hæc ſemen, & quodammodo principium caſtitatis; *Virtutis primitiæ*: denique nota eſt, atque fere certiſſimum intemeratæ honeſtatis indicium: *Inſigne totius honeſti*. Hic igitur pudor cum nondum extinctus eſt, tutiſſimum eſt contra incompoſitas voluptates antidotum. Ex temetipſo judicium fers, ſi unquam in crimen aliquod caſtitati oppoſitum lapſus fuiſti; quot tibi certamina ineunda fuere, non dico ſolum contra gratiam, vel contra rationis conſiderationes, ſed contra ſolam verecundiam? Ante patratum ſcelus, accedente libidinoſo homine, ſevera modeſtia te in officio continebat; hæc una ad illius audaciam infringendam ſatis erat; illa in oculis, in fronte, in oris habitu, in omnibus denique agendi rationibus tuis videbatur. Verum ut agnoſcas, quam explicitæ ſint leges pudicitię, nonne verum eſt, S. Bernardus ait, quod, poſtquam ejuſdem jacturam paſſus fuiſti, exteriorem illius habitum affectus, illius perſonam, ac ſpeciem mutuaris? Quamquam cor tuum libidini mancipaſti, tamen modeſtiæ primæ veſtigia prætefers: anima perdita eſt, mollita, corrupta; oculi vero adhuc ſunt caſti: *Adeo genuinum animi bonum eſt verecundia, ut, qui eam funditus amiſere, verecundari velle videantur*. Hoc igitur, fideles animæ, validum eſt propugnaculum a Domino veſtris cordibus inſitum, ne legem infringeretis, & hoc primum illud eſt, quod licentia veſtra conatur ſubvertere. *Idem*.

Naturalis ſuperbia, & ſenſuum nobilitas non modicum ſubſidium adfert contra puritatis inimicos; & quam optandum eſſet, ut pudicus contemptus efficeret, ut ſilentium tot libidinoſis hominibus imponeretis, quorum ſola vivendi ratio indignos efficit veſtra exiſtimatione! Per vos mihi liceat, eadem vobis referre verba, quibus S. Hieronymus utebatur cum illuſtribus quibuſdam Romanis mulieribus, quarum ſpiritualem curam gerebat: *diſcite*, ajebat illis, *in hac parte ſuperbiam ſanctam*. O illuſtris Paula, o generoſa Euſtochium, nobilis Conſulum progenies! in mente revocate eos ſenſus, qui ſatis habuere virium, ut in officio Ethnicas matronas continerent, iiſque utimini ſenſibus, qui olim tot Lucretias veteri Romæ dederunt. Vobiſmetipſis dicite; numquid oculi mei rationi imperium præripient, & illi dominabuntur? Numquid ego inſani affectus ludibrium, & imprudentis hominis fabula fiam, qui poſt relatum de mea imbecillitate triumphum mihi illudet, atque invalidam reſiſtentiam meam in jocum traducet? Dicite quoque vobiſmetipſis; quid contendunt hi, qui illecebris, atque blanda aſſiduitate me urgent? numquid ſibi perſuadent me adeo infirmam fore, ut ipſorum illecebris vincar, vel lucri capiar aviditate? nonne jam me dedecore affecit, qui ſenſus virtuti meæ adeo iniquos, atque infenſos concepi? *Idem*.

Per continentiam adhæremus Deo.

Si legitimus amor Sacramento confirmatus cor hominis dividit, quilibet alius amor cor dividens nonne illud fœdare, & corrumpere debet? Naturaliter amor noſter in infinita ſeſe effundit objecta; ſed per continentiam illum in unum tantum objectum impendimus, quod ejuſdem felicitatem conſtituit, ut ait Auguſtinus. Sanctorum in Cœlo felicitas in hoc Dei amore ſine alterius affectionis immixtione conſiſtit; atque quo magis cor noſtrum in hac vita amorem ſuum emundabit, eo magis ad vitæ alterius felicitatem accedet. *Pater Dozenne in Morali JESU CHRISTI*.

Nihil in mundo ferme timendum eſt magis, quam quod magis placet: cum enim adverſus alios inimicos ſtrenue decertemus, ac noſmet tueamur, pro voluptatibus nos ipſos prodimus, & inimicus hic invictus evadit. Videri, laudari, amari, periculoſi ſunt ſcopuli; hoc tamen nos ultro deſideramus. Sexcenti adverſus ſæviſſimos cruciatus extitere fortes, qui tamen voluptatum illecebris victi fuere; prælium intra noſmetipſos eſt, ac in viſceribus noſtris hoſtem gerimus. Mementote, quod

Sanctus Cyprianus ait, inter diverſi ſexus perſonas, ubi magis periculum adeſt, colloquia neceſſitatis tantum ergo, atque obiter eſſe habenda: *Acceſſio quodammodo fugitiva*, ſemper vero cum ea ſerietate, quæ ad ſeveritatem accedat, tunc etiam cum afflicta perſona conſolatione fuerit recreanda. Sola imago, quæ in mente ſupereſt poſt colloquium illud, cui aliquis amoris ſenſus immixtus fuit, ſæpe cordis integritatem corrumpit. Ipſe etiam ſpiritualis amor facile in carnalem degenerat. Attendite, ajebat Apoſtolus, ne ubi ſpiritu incœperitis, carne deſinatis. Impuritatis ſpiritus nonnumquam puritatis ejuſdem integumentis tegitur, ut delicatas, pavidaſque animas perdat. *Idem*.

Pulcherrimus ornatus, ac pretioſa Virginis Chriſtianæ ſupellex, Sanctus Bernardus ajebat, pudor eſt, ac modeſtia. Virgini ſufficit placere Deo, ac metuit ne placeat hominibus; tantum abeſt, ut cupiat: *Pereat corpus, quod placere poteſt oculis, quibus nolo*; egregiam profecto cujuſdam Sanctæ Virginis ſententiam! Si Virgo amari vellet, & rationes inquireret, quibus amaretur, næ illa quidem ex Virginum albo expungi mereretur: non enim ſatis caſta eſſe poteſt, quæ alios in amittendæ caſtitatis periculum ſtudet pertrahere. *Idem*.

Ne ſinas, tibi os ſubliniri dæmonis aſtu ſuadentis, ne peccati occaſiones effugias, & hanc prætexentis cauſam, futurum videlicet ut victoriam magis glorioſam referas. Fructus, quos non videmus, non adeo cupiditatem noſtram accendunt, ac illi, qui ob oculos noſtros verſantur: intuitum cogitatio ſubſequitur, cogitatio voluptatem gignit, voluptas conſenſum rapit. Hoc pacto ſæpe exigua ſcintilla magnum rapit incendium. Quantumvis generoſa ſit caſtitas, ſemper tamen neceſſaria eſt fuga occaſionum: aliis vitiis obluctari facile potes, at huic, quod puritati adverſatur, terga ſtatim vertenda ſunt. Hæc ideo melius inter Religionis clauſtra ſervatur, ubi a majoribus periculis abeſt, & ſemper ingenti virtutum numero fulcitur.

Quanam in re caſti ab Angelis differant.

Quanam in re, S. Chryſoſtomus quærit, veri puritatis amatores ab Angelis differunt? nulla prorſus, idem reſpondet, niſi quod in corporibus mortalibus puras animas gerunt. Verum ſi diſcrimen hoc illos Angelis & natura, & dignitate inferiores facit, hoc ipſum eoſdem & virtute, & meritis facit ſuperiores. Inter flammas ipſi Angelos habent comites, ut olim tres illi in fornace Babylonica pueri, ſed mirum eſt, quod ignes illi animas carne circumdatas adurere minime valeant, ſecus vero quod meros, beatoſque ſpiritus non lædant. Neque miraculi loco habendum, quod ſpiritus ab omni materia expeditus contra immaterialem ſpiritum confligat; ſed portenti inſtar eſt, quod ſpiritus corrupta carne impeditus, qualis noſter eſt, in fugam Spiritus corpore carentes conjiciat. Hæc autem puritatis amor præſtat in nobis. Qui carnem ſuam vicit, eſt quodammodo ſupra naturam; qui vero ſupra naturam eſt, parum eſt infra Angelos conſtitutus. *Idem*.

In hac vita mortali anima naturaliter corporis infirmitatem, atque corruptionem redolet, ſed per virginalem puritatem corpus animæ nobilitatis fit particips, naturam ut ita dicam immutans ac fruens privilegio ſpirituum. Corpus hoc adeo corruptibile illis ſimile fit; quæ Angeli nonnumquam aſſumunt, ut inter homines videantur, vel potius ſimile eſt beatorum corporibus, quæ, Apoſtolo teſte, ſpiritualia reſurgent. Itaque Virginitas, ut quidem fit, eſt futura reſurrectionis imago; & in cœleſti vita Virgines præ omnibus animabus ſanctis peculiares coronas habebunt. Quomodo ergo revereri debemus corpora noſtra, quæ JESUS CHRISTUS deſtinavit, non ſolum ut eſſent ſui corporis templa, verum etiam ut ipſius ſimilitudinem ferrent? ratio potiſſima, qua noſmet preparare poſſumus, ut illi in gloria ſimiles evadamus, hæc eſt, ſi illius puritatem imitemur. *Idem*.

Amor Filii Dei erga puras animas.

Noſtin' cordis, corporiſque puritate peculiares ineſſe quaſdam illecebras ad cor Filii Dei flectendum? Noſtin' ipſum ideo habere voluiſſe dilectum Diſcipulum Virginem, Præcurſorem Virginem, Matrem Virginem, & Virginibus datum ſequi Agnum quocumque ierit? Virtutem hanc ſemper adeo dilexit, ut cum paſſus fuerit ſexcenta ſibi ingeri crimina, ne umbram quidem ferre potuerit illius, quod puritati adverſatur: & propter virtutis hujus amorem, licet aliter profunda ipſius ſuaderet humilitas, inſueta via venire voluit in mundum. *Idem*.

Conquerebatur Sanctus Hieronymus, pleraſque ævi ſui Virgines corpore tenus, non ſpiritu Virgines eſſe, eaſque coram Deo nihil hujus virtutis habere, niſi merum, vacuumque nomen. Profecto, o mundanæ Virgines, virginitas magna in cœlo præmia præſtolatur; ſed illuc alia prorſus ratione ab ea, quam putetis, eſt ingreſſura. Varii colores, qui faciem veſtram illinunt, puritatem deturpant; nævi oris albedinem commendantes liliorum continentiæ candorem denigrant; hæc omnia adfectata colloquia venena ſunt caſtitatem corrumpentia; luxus, quem tantopere deperitis, paulatim accendit ignem, quo brevi cætera etiam ſunt conflagratura. Beatiſſima Virgo ſolum ſibi adſtantem videns Angelum, quod hic viri faciem præſeferebat, expavit; vos autem diem perdidiſſe creditis, niſi certatim homines teſtati fuerint ſe capi pulchritudine veſtra ſeu fictitia, ſeu vera. *Abbas d'Aubignac in libro cui titulus: Eſſais d'Eloquence. Sermone pro Incarnatione JESU CHRISTI*.

De Viduarum caſtitate.

Seculi Viduę longe differunt ab Evangelica, quę in jejuniis, & precibus vitam ſuum tranſigebat in templo; immo illis potius ſimiles videntur, quas Sanctus Paulus vituperat in deliciis viventes. Profecto plurimæ videntur, quæ vitam in deliciis agunt, tamquam in ſuę vanitatis elemento. Si, ubi muliebri mundo, auro, ſericis, fuco, unguentis ſeipſas comunt & ornant, ſequi putant exemplum Judith, quę in Scripturis hoc ipſum præſtare deſcribitur: nę illæ quidem vehementer falluntur, vel potius ſeipſas fallere geſtiunt. Hoc enim in ſancta illa Muliere virtutis effectus fuit; ſed in ipſis voluntarium eſt luxus artificium: illa triduo, vel ad ſummum quatriduo hoc præſtitit; ipſæ vero quotidie: illa vim fecit ſolitudini viduitatis ſuæ, ut hoc ſtratagemate infenſiſſimum Patriæ ſuæ hoſtem obtruncaret; hæ vero vim faciunt pudori ſuo, ut inimicis continentiæ ſuæ vires accendant. Itaque tantum abeſt, ut in earum Viduarum, quas coli jubet Sanctus Paulus, deſcribendæ ſint numero, quod immo merentur, ac ſæpe etiam ſibi conciliant eorum contemptus, qui propius ipſarum vivendi rationem intuentur. *Idem*.

Puritas ex omnibus virtutibus facillime deperit. Jure exiſtimare poſſumus, illam aliquando ex ſemet interire, cum aliquid de ipſius fulgore imminuitur: non ſatis eſt, illam a crimine tueri, ut ipſa omnem ſuam obtineat pulchritudinem; tueri etiam decet externam habitus modeſtiam, quæ optime illius pudori convenit. Negligens oris habitus, geſtus, petulantior inceſſus, indecens agendi ratio, indumenta luxum mollem, atque diſſolutum redolentia, auferunt illi, ut ita dicam, florem æque tenerum, ac jucundum, qui gloriæ ſuæ partem conſtituit. Certum eſt, illum in certum periculum objici, ubi externam modeſtiæ ſpeciem, atque urbanitatem exuit, quæ illius quoddam eſt veluti propugnaculum; immo certum eſt illam exponi non poſſe, quin dedecoretur. Attamen illæ ipſæ, quæ modum ſervare gloriantur, hoc periculum fere non vident. Amant facilem, liberam, hilaremque conſuetudinem; diligunt muliebrem mundum, quo venuſtas oris commendatur, & quo ſe placere putant; nectunt familiaritates, quæ ali non poſſunt, niſi iis rebus quibus inflammatur affectus: prodeunt ad theatra, choreas, ſpectacula; denique illæ etiam, quibus adhuc religioſa conſcientia eſt, ornatu, habituque non differunt ab iis, quarum caſtitas eſt profligata; & quod apertiſſimum eſt flagitiorum ævi hujus indicium, in hoc omnem curam tranſmittunt, ut ſeſe accommodent & tempori, & conſuetudini. *Liber cui titulus: Remarques ſur divers ſujets de Religion, & de morale tomo* 1.

Oculi iis omnibus objectis aſſueti, quæ ſevera caſtitas metuere debet, mentem etiam iiſdem aſſuefaciunt: putant, eo quod non timetur, timendum non eſſe; ſibique eos omnes remittunt defectus, in quos decidunt propter eam neceſſitatem, quam ſibi alios ſequendi imponunt; immo neque animum dignantur advertere, ut cogitent, utrum illis ſcelus inhæreat. Si puritatis honor, probitatis, & virtutis vigilantiam non ciet, quidnam mortales poterit excitare? *Idem*.

Puritas ſemper metuere, ac ſibi cavere debet.

Vera puritas numquam tranquilla eſt, numquam enim ſe ſatis tutam putat. Timere etiam debet, cum periculum abeſt; ac temere, & audacter agit, ubi pavere ceſſat; & dici poteſt, non pavere, ubi ſibi fidit. Virtutum pleræque in certaminibus emicant, hæc in fuga. Si hoſtem quærit, jam ſemivicta eſt; ſi non quæſitum invenit, de victo-

ria certa eſſe non debet. Si procul ab illo dormitat, ipſum excitat; cum illi metum non injicit, eum provocat. In publicum prodit? oſtendere debet, ſe ægre, & invitam prodire. Deliteſcit? in tenebris quoque eamdem, ac in luce curam, & vigilantiam debet adhibere; numquam fortior, quam cum omnia eam terrent; numquam amabilior, quam cum ſeverior: at ſemper pavida, ſemper contremiſcens, ſi omnem ſuam poſſidet gloriam. *Idem.*

Hæc virtus eſt, de qua ipſi etiam mundi ſectatores, dummodo non omnem honoris ſui curam abjecerint, jactantius gloriantur: hæc virtus eſt, cujus exiſtimatio quodammodo plurimos a multorum flagitiorum confuſione liberat; hæc virtus eſt, quam nequiſſimus quiſque revereri cogitur tunc etiam, cum libido eos impellit, ut majori vi, ac impudentia eamdem coinquinent. Cæterum virtus eſt in primis tenera, quæ ſine inviolabili integritate ſubſiſtere nequit, quæ ſemel amiſſam gloriam reparare nequit; quam, jure dici poteſt, plures, magiſque metuendos, quam reliquæ ſimul virtutes habeant, habere inimicos. Hinc eſt, quod caſtitas pręceteris virtutibus cuſtodienda eſt diligentiſſime, & cavendum ſedulo, ne vel minimum lædatur; cum interim non alia fortaſſe virtus adeo negligatur, & majori cum temeritate periculis objiciatur. Ejus eſſentiam in hoc poſitam vulgo putant, quod a nequiſſimis quibuſdam flagitiis, quæ inevitabilis verecundia ſubſequitur, abſint. Se in hac re credunt irreprehenſibiles, honori ſibi vertunt, neque alios torquere ea ſeveritate, quæ una poteſt honoris integritatem tueri. Sermones habentur, atque audiuntur, quæ impudicos tantummodo docent; eam ſibi vendicant, aliiſque permittunt licentiam, qua libido foveri conſuevit: iique geſtus, oriſque habitus adoptantur; qui a vitio ſeparari non poſſunt. *Idem.*

Caſtitas argumento eſſe poteſt a caſto virtutes omnes poſſideri.

Adeo præclarus, ac nobilis eſt caſtitatis caracter, ut vere caſto omnes virtutes tribuere quodammodo teneamus. Difficile profecto eſſet genuinam hujus rei cauſam adferre; dici tamen poteſt illum, cui tanta virtus eſt, ut nihil indecorum ſibi licere velit, omnemque ſibi licentiam interdicat, quæ alere poſſit affectum; cui tanta ineſt religio, ut ipſam periculi ſuſpicionem perhorreſcat, & minimos etiam motus ſuos perquam caute ſcrutetur, dici, inquam, poteſt, hunc eum eſſe, qui rei nullius rationem putet habendam, ut Deo fidelis adhæreat. Hic enim modeſtiæ, & pudoris habitus ſimul eſſe non poſſe videtur cum tumultuoſo avaritiæ, odii, & ambitionis impetu. Externa hęc adeo bene compoſita ſpecies animum præſefert ordini, urbanitati, virtuti, quæ plerumque ſolidam, & chriſtianam probitatem concomitantur, aſſuetum. Mores iſti adeo prudentes, ac pudici quomodonam locum præbere poſſunt, ut aliquam injuſtitiam, vim, furorem, diſſimulationem ſuſpicemur? Jugis hæc vigilantia, qua tunc utitur etiam, cum teſtes non adſunt, cum vanitas non exigit, cum humana ratio nulla ſuadet, nonne vivæ fidei effectus eſt, quæ nos coram Deo jugiter tenet, & legi ipſius nos ſubjicit, cum etiam non aliud, niſi oculos illius timere debemus? Virtus ſemper mundi licentiam peroſa, parata ſemper ad infringendum cum inordinatis ſodalibus conſuetudinem, ſemper ad nefarium quodlibet exemplum reluctans, ſemper ad erubeſcendum diſpoſita, ſi quid ſibi maculam effundere poſſe videatur, ſemper ſtabilis, & conſtans, ut numquam flectatur iis moleſtiis, quibus urgetur, ſemper diffidens, ut divinæ tantum gratiæ confidat, cui fideliter reſpondere conatur, virtus, in qua hi mores effulgent, uæ illa quidem in ſe congeriem earum virtutum complecti cenſetur, quæ Chriſtiani perfectionem conſtituunt. *Idem.*

Vigilantia, oratio, præſentia Dei ea ſunt arma, quæ nobis ſuggerit gratia, ut noſmet tueamur. Vigilantia cuſtodiam ſenſus meos; prohibebo ne ſuper illicita objecta ſeſe effundant; non ſinam aliquem mihi excidere oculorum conjectum, qui in aliorum corda incendium ferat, vel inde referat in meum. Vitabo eorum librorum lectionem, qui mei quidem ſolatium, cordi vero afferunt corruptionem, eaque aufugiam colloquia, quę nos ſaltem molliunt, vel propter quæ Spiritus Sancti unctio exareſcit: orationem denique impendam tamquam antidotum efficax æque, ac neceſſarium. Sapientes animarum duces norunt negligentiam orandi, ut plurimum, primam eſſe diſpoſitionem ad incontinentiam; ego vero ſemper expavi, ubi adoleſcentes intuitus ſum, qui pietatis amore non aſficiebantur, & orationem oderant. Præſertim vero, ut innocentiam meam tuear, Deus ſemper ante oculos meos verſabitur, &, quemadmodum omnibus in locis videbo Deum, Deus ubique mihi præſens me intra ſeveræ modeſtiæ ſinus continebit: cumque acerrimis urgebor ſollicitationibus, tunc ad illud confugiam antidotum, quo uſus eſt Joſeph. Adoleſcens hic ſervus in ætatis ſuæ flore, cum fatale ipſi momentum immineret, recordatus eſt Dei Patrum ſuorum, & fecit, ut hæc recordatio eſſet ſuæ continentiæ præſidium, Deique nomine uſus eſt ad libidinem furentis fœminę reprimendam. *Quomodo poſſum peccare, & facere malum hoc in Deum meum?* Fieri ne poteſt, ut ego contra Deum, cui ſervio, delinquam? Ipſe me videt, ipſe mihi adeſt. *Ex Sermone Patris Catrou.*

Incuria, qua corporis puritas defenditur.

Plerique ſe mundos & ſpiritu, & corpore putant, cum ob humanas rationes nefaria quædam effugiunt flagitia, quæ animam brutorum conditioni ſubjiciunt, eamque omnino carnalem efficiunt. Amor proprius, qui ſemper novas artes invenit, quibus hominibus blandiatur, hunc conſcientiæ timorem aufert, qui animabus caſtis ſevera lex eſt, eique magnum diſcrimen oſtendit inter mundi voluptates, & ſcelus, quod eaſdem ſubſequitur. Pauci adeo religioſi ſunt, qui aures non præbeant meditatis his vocibus, quæ cum indifferentes videantur, adeo pernicioſas ſententias amplectuntur. Pauci timent omnes has vanitates, quæ placere geſtiunt, quæ in cor clanculum obrepunt, atque ibi peſſimum virus effundunt eo pernicioſius, quo occultius. Pauci hos horrent ludos, hæc ſpectacula, quæ adeo celeres, ac vividas impreſſiones efficiunt, quæ animam ex parte adeo ſenſibili tangunt, quaſi jam omnem exuiſſent inhoneſtatem, atque propter mundi corruptionem jam facta fuiſſent neceſſaria. Illi ipſi, qui periculum norunt, ſeſe intra certos fines continent procul a turba, & tumultu, ubi ſpiritus ſub ſpecie acquirendi aliquam elegantiam, & deflectendi a vitio innocuis illecebris eas artes nanciſcitur ad optatum finem aſſequendum, quæ vitio eidem ſunt magis funeſtæ. *Deſumptum ex collectione plurima Elucubrationum Gallicæ Accademiæ oblatarum anno* 1677. *Sermone* 2.

Timeamus, Fideles, ac tremor nobis incedat hęc Apoſtoli 1. *ad Cor.* 3. & 6. & audientibus verba: *Si quis Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Templum hoc ſanctum eſt, & vos ipſi hoc Templum eſtis; nihil igitur pollutum, prophanum nihil ingredi debet. Immo debemus glorificare Deum, eumque ferre in corporibus noſtris: videlicet Spiritum Sanctum, cujus templa ſunt corpora noſtra, ac, quocumque eundem, ſit ire tamquam divinam hanc majeſtatem gerentes. Ideo purificemus ab omni ſorde corpora, menteſque noſtras, Dei metu perfectam efficientes noſtram ſanctitatem, Hæc eſt concluſio, quam Apoſtolus ex eo infert, quo ſumus templa Dei, atque ad hoc proponit ſuæ juſtitiæ metum; quippe ſe perditurum minitatur eum, qui templum ſuum coinquinaverit. Peccatoribus nonne timor incedere debet, vel potius graviſſimus terror, cum toties, atque adeo turpiter, hoc templum polluant per ea flagitia, quæ nefarie committunt? quid opperiri poſſunt, cum Deus ſit eoſdem perditurus? quomodo poſt adeo terribiles minas quietam traducere vitam poſſunt? Meminiſſe debent corpora ſua animata eſſe Dei templa; quandoquidem illi ſolemniter dedicata fuere cum ſacrum Baptiſma receperunt. *Boudon in libro cui Titulus, Le Chrètien Inconnu.*

CON-

CONVERSIO PECCATORIS,

EJUSDEM REDITUS AD DEUM.

Dolor, & Pœnitentia Peccatorum, Mutatio vitæ, interior Pœnitentia, Spiritus Contritionis &c.

MONITUM.

CUM argumenti, quod Pœnitentiam reſpicit, tanta ſit amplitudo, ut unico titulo pertractari non poſſit, operæ me pretium facturum arbitratus ſum, ſi illud bifariam ſecarem, & in altero titulo primam, ac maxime eſſentialem pœnitentiæ partem, Converſionem ſcilicet peccatoris, quæ interior Pœnitentia vocatur, a ſatisfactione diſtinctam, quæ divinæ offertur juſtitiæ exterioribus pœnis, atque auſteritatibus, quas ultro pro peccatorum expiatione ſuſcipimus, pertractarem. De altera hac parte alibi ſub Pœnitentię titulo ſermo erit: nunc vero de priori tantum verba facturi ſumus, quæ eſt Reditus ad Deum per peccatorum dolorem, ac pœnitentiam, in qua proprie Converſio, vel vitæ mutatio conſiſtit: cum hæc tunc incipiat mutatio, cum vere pœnitet peccatorum præteritorum, non ſine conſtanti propoſito in poſterum ab iis abſtinendi. De Contritione, & dolore, quatenus Sacramenti Pœnitententiæ partem conſtituit, alibi jam ſermo fuit: verum cum iſthic magis generatim Pœnitentiam reſpiciamus, quatenus virtus eſt, cujus uſus non poſtremus eſt, nos ad hoc Sacramentum diſponere, magis peculiariter ad examen revocabimus qualitates hujus doloris, qui peccatorem immutat, & efficit pœnitentem.

Qua in re animadvertendum eſt, licet Scriptura Sancta, Sanctique Patres iis in locis, iiſque in exemplis, quæ afferunt, veræ, ſinceræque pœnitentiæ, vulgo exteriorem cum interiori pœnitentiam conjungant, nihil obeſſe tamen, quominus hæc Concionator ſejungat, ut Auditores ſuos ante cætera ad verum peccatorum ſuorum dolorem hortetur, eoſque ad eumdem vividis conſiderationibus excitet. Illi enim perſuaſum eſſe debet, ſi cor eorum commovere potuerit, eiſque ſinceram inſpirare pœnitentiam ob ſupremi Numinis læſam Majeſtatem, ſe jamjam eos convertiſſe, atque ad Confeſſionem, & ea omnia, quæ ad divinæ juſtitiæ ſatisfaciendum requiruntur, impuliſſe.

Præterea non abs re puto monere, cum inter eos, qui Domini verbum annuntiant, nemo ſit, qui de Pœnitentia Sermonem non habeat, ſi quis in re non cenſuerit interiores actus ab exterioribus hujus virtutis actionibus ſeparare, primis tamen inſtituendum eſſe; cum hic pręcipuus eſſe debeat finis, præſens magiſque ſolidus concionis fructus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus argumenti Structura.

I. CUM in Converſione Peccator id unum ſpectare debeat, ut convertat Dei cor merito irritatum contra ipſum, ut ſacer Textus inquit; *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, ut veram efficiat Converſionem, Peccator id imitetur, oportet, quod Deus ipſe fecit, ut illum converteret, atque per veram, integramque juſtificationem in ſanctitatis viam revocaret.

1. Quemadmodum Deus illum prævertit, ſollicitat, urget, ut de miſerabili ſtatu tandem emergat, in quo per ſe peccator ſemper volutaretur, cum ex ſemet vim non habeat, non dicam egrediendi, verum neque cogitandi, atque ineundi conſilium revertendi ad Deum, a quo per ſcelera ſua ipſe ultro receſſit, quemadmodum, inquam, opus eſt, ut Deus ſanctum illi deſiderium inſpiret, eique oculos aperiat, ut agnoſcat malum, in quod præceps ruit, ſui erroris effectus, graviſſima ſupplicia, quæ promeritus eſt, & quæ evitare non poteſt, niſi ſincera converſione redeat ad officium, & denique illi ob oculos ponat veritates omnes, quæ efficere poſſunt, ut reſipiſcat; ita oportet quoque, ut peccator quatenus ad ipſum ſpectat, Dei vocem audiat, ſeſe urgentibus divinæ gratiæ ſollicitationibus dedat libera, celeri, ſinceraque pœnitentia, atque ut ex corde, immo ex toto corde ſuo convertatur.

2. Quemadmodum ad hoc, ut Dei ipſius cor, ut ita dicam, immutetur, & convertatur erga peccatorem, Deus illum odiſſe deſinat, opus eſt, ideoque in ipſo peccatore debeat peccatum, a quo odii ſui objectum efficitur, eique reddat ſuam gratiam, quæ eſt reconciliationis ſigillum, & quæ una in oculis ipſius nos acceptos efficere poteſt; opus quoque eſt, peccatorem odiſſe, atque deteſtari peccatum, a quo Dei ſui hoſtis efficitur, odio ſummo, atque internecino, quomodo illud odit Deus, certum, & conſtans ineat conſilium illius evertendi, & pro inordinato amore, quo creatum, & fragile bonum prætulit amori, quem debet unico, & ſummo bono, qui Deus eſt, divina favente gratia in id unum incumbat, ut guſtet, ac formet in ſe, ac longius, quam poterit, ferat amorem hunc juſtiſſimum, quem tot ob cauſas debet Deo, ut per cordis ſui reditum atque converſionem ſupremum hoc bonum diligat viva, ardentique charitate, per quam fideliter ejuſdem adhæreat ſervituti. Hoc in ſenſu peccatoris converſio in cordis ſui converſione conſiſtit.

3. Quemadmodum Deus ſe peccatori reconcilians, eique gratiam reddens ab eodem amiſſam ſimul etiam reddit omnia dona, atque privilegia, quæ illi peccatum abripuerat, obliviſcitur injuriarum, quibus ab ingrato affectus fuit, remittit illi æternam, quam peccatis ſuis meritus fuerat, pœnam, & ſi fidelis divino adhæſerit ſervitio, ipſum recentibus cumulat beneficiis; ita viciſſim peccator integra, perfectaque converſione renunciare debet omnibus inordinatis affectibus, quibus creatas res deperibat; coercere, & impugnare paſſiones ſuas; veteres habitus delere, ac convellere; atque renunciare noxiis affectionibus, quæ ipſum a Dei ſervitute averterunt, ut impoſterum bonis tantum operibus, & pietatis actionibus vacet, ac in dies majorem in ſe charitatem accendat. Ita magni Peccatores poſt Converſionem ſuam majores ſancti effecti ſunt, quam ſi numquam a Dei ſervitute deſciviſſent, & aliquandiu in flagitiis vitam non traduxiſſent.

Hoc ipſum argumentum aliter afferri poteſt, in priori parte oſtendendo, quid agat Deus pro peccatoris converſione; in altera vero, quid agendum peccatori: peccatoris enim Converſio opus eſt utriuſque, cum neuter ſine altero quidquam facere valeat. II.

Pars prior. Deus 1. ſæpe annos integros, invictaque patientia peccatorem præſtolatur; 2. illum urget, ſollicitat, immo etiam perſequitur, quaſi indigeret peccatoris illius, cujus amicitiam requirit; at quaſi Deus ipſe intuliſſet injuriam, & non fuiſ-